



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. VII. An alicui defunctæ uxoris dimidii fratris filiam ducere integrum sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

tionem contineri personarum & non graduum; adeo ut quæ personæ ibi in linea collateralis non recensitæ, illæ nec censeantur prohibitæ. 3. Hoc in casu nec personam nec gradum similem prohiberi. 4. non esse hic identitatem sed disparitatem rationis. Siquidem omnes prohibitiones ex isto principio fluunt Lev. 18: 6. Quæ argumenta omnium oculis exponimus, ut videant quid in ejusmodi casu standum. Ad exempla ante Legem supra respondimus, quæ nobis ne utiquam imitanda, cum non caruerint nævo. Secundum argumentum, personas tantum esse vetitas in Levitico, etiam non admittimus. Contrarium hactenus probavimus, & in sequentibus fusius probabimus. Tertium & 4. dubium satis solutum esse puto ex iis, quæ dicta sunt.

XXI. *Questio septima*, An alicui defunctæ uxoris dimidii fratris filiam ducere integrum sit? Si per dimidium fratrem consanguineus intelligatur, qui cum sorore ex eodem patre prognatus, decisa est hæc quæstio ex præcedenti, cum consanguineus frater & consanguinea soror pro fratre & sorore habeantur ex Lev. xvi 11. 9. 11. Si vero frater sit privignus ex aliis parentibus natus, conjunctio non habet difficultatem. Sub hac distinctione mihi videtur admittendum esse, quod negative respondit *Fac. Theol. Lipsiensis An. 1657.* apud *Dedeck. in Append. ad vol. 111. Conf. L. 3. sect. 2. Tit. 3. Num. 6.* Obiener seines vorigen Weibes stieffbrudern tochter geprahten künne? Ubi procul dubio frater uxoris intelligitur, qui est mariti filius ex alia uxore, & privignus appellatur. Cum igitur conjugium cum sororis privigna licitum sit, etiam licitum erit cum privigni fratris filia. Sed vero cum consanguineæ sororis filia æque est illicitum ac cum germanæ filia. Atque ita ad hanc quæstionem de consanguineæ sororis filia negative respondit Consistorium Misnense apud *Dedeck. Conf. Th. vol. 3. Sect. 2. Tit. 3. Num. 14.*

XXII. *Questio Octava*, An viduæ liceat defuncti mariti consanguineæ sororis filio nubere? Respondet *Fac. Theol. Rostoch. An. 1575.* apud eundem *Ded. loc. modo citato Num. 16.* negando. Cui sententiæ etiam accedo, quia consanguinea soror in sacro Codice sororis titulo gaudet, & prohibita est. In ejusmodi casibus tamen circumstantiæ ponderandæ, an res adhuc integra, & ex ignorantia Legum ejusmodi matrimonium personæ elegerint. *Questio nona* sequitur, An mulieri nuptiæ cum patris consanguineæ sororis defunctæ marito sint licitæ? Resp. eas pugnare cum Legibus Mosaicis Lev.